

Q. D. B. V.

DIVINÆ LAUDIS,
VOTIVÆQUE PIETATIS MATERIAM,
h. e.

Genuinas ac præcipuas

MAGISTRATUUM VIRTUTES,

ex

Symbolicâ & hieroglyphicâ sapientiâ

NUMISMATUM

apud Romanos cuforum

in honorem

NOVI CONSULIS

Moderatore

CHRISTIANO WEISIO, RECT.

IN GYMNASIO ZITTAVIENSI

d. 4. Octobr. M DC XCI.

Oratiunculis gratulatoriis persequuntur

Prologus: JOHANN ADOLPH Stoll / Zitt. Luf.

HERMAN LINDEMANN, Hafniâ Danus.

WOLF CONRAD von Kauschendorff / Nob. Luf.

LOTH SIGMUND von Minckwitz / Nob. Luf.

JOHANN CHRISTIAN Weise / Lüben-Luf.

JOHANN GEORG Müller / Zitt. Luf.

Gottfried Theurig / Zitt. Luf.

Epilogi: AUGUSTUS JUST, Zitt. Luf.

JOHANN ELIAS WEISE, Weisfenfels.

ZITTAVIÆ,

Typis Michaëlis Hartmanni.




Dum versamur in studiis Oratoriis, quæ meliores juvenum animos non ad ingenii culturam modo, sed ad ipsam vitam h. e. ad vivendi solidiorem utilitatem deducere consueverunt: in manus venit *Adolfi Occonis* Continuator *Franciscus Mediobarbus Biragus*, qui Mediolani an. 1683. numismata Imperatorum usq; ad tempora Heraclii adeoq; ad annum Christi 640. publici juris facta, breviter sed nervosè describit. Qui enim augustas has & omnino heroicas imagines ad orationis majestatem nihil contribuere putat, is fortè nec legendo nec audiendo cognovit, quanta vis olim fuerit philosophiæ symboliæ s. hieroglyphicæ, quam inde versari credebant circa *ἱερὰς γλυφὰς* s. sacras sculpturas aut picturas, quod, sub ipsis rerum visibilium imaginibus divinas virtutum, morum, consiliorumq; politicorum regulas exhiberi certum esset. Neq; vel operam vel oleum perdit, qui suos ingenii lusus ad ingeniosa tum Philosophorum tum personarum in Rep. florentium inventa sensim accommodare didicerit. Sanè cum è privatis meis auditoribus nonnulli campum hunc hieroglyphicum paulò ingrederentur penitus, & quantum è monetis illustrari possent **MAGISTRATUUM VIRTUTES**, repetitis & examinatis non sculpturis modo sed & inscriptionibus intelligere cœpissent, ultrò visi sunt industriam offerre, cum solennis hæc gratulatio Nobilissimis Patriæ Patribus Gymnasii nomine debita, quorundam specimina postulare videretur. Inde consensi, ut, inter Musas alioqvi pauperes, nummos spargerent, suamq; liberalitatem jactarent & pretiò & antiqvitare probatam. At ne Patronos & Auditores nanciscamur ad singula percipienda minus paratos, quid cuius ex immenso numismatum numero placuerit, breviter exponemus.

PROLOGUS impetratâ velut spargendorum missilium veniâ tres exhibebit Trajani nummos 1. Personæ dextra hastam sinistra ramum gerenti adscribitur: **PROVIDENTIA**. 2. Personæ pateram, velut sacrificii instrumentum, gerenti: **SALUS AUGUSTA**. 3. duabus personis ad aram sacrificantibus: **VOTA PUBLICA**.

Alteri magis placebunt numismata post Augusti obitum cusa: triplici enim figura caput exhibet jam laureatum, jam inter palmas, jam radiatum.

Tertiùs respiciet Hadrianum: Hic enim in nummo sceptrum ab Aquila cœlitus oblatum recipit, adscriptis verbis: **PROVIDENTIA DIVINA**: planeq; consentit ea res cum moneta Trajani, cui Jupiter è nubibus manum porrigit, addito Lemmate: **CONSERVATORI PATRIS PATRIÆ**.

Quar-

Quartus officium Christiano dignum, facturus Constantini M; crucem seu Christi monogramma  in quo signo sæpe vicerat, in nummis filii Constantis observabit. Nempe labaris hoc signo notatis inscriptum fuit, jam SPES REIP: jam FELIX TEMPORUM REPARATIO; jam GLORIA EXERCITUS five REIP. Simulq; ut pietatem offerat ipsis Politicis quoq; commendandam, Justiniani Imperatoris dabit nummum, qui columnam cruce insignitam refert.

Quartus ad Theodosium progressus mirabitur Imperatorem in navi, cum victoriola à tergo, & cruce, in medio laureâ, additis verbis: GLORIA ROMANORUM.

Sextus ad ipsâ Magistratum beneficia conversurus oculos, nummum primo proferet Augusti, qui cum publicis viis curam impendisset, inter arcus triumphales merebatur inscriptionem: QVOD VIÆ MUNITÆ SUNT: postea memoriam repetet Honorii, qui revocatis in ordinem rebus monetariis, dignus habebatur, ut juxta ipsius imaginem spectaretur justitia cum cornu copiarum, simulq; legeretur: EXAGIUM (h.e. pensatio) SOLIDI.

Septimus ad inclytum Senatum paulò propiùs accedens, ea tempora spectabit, quibus Senatu Romano sic constituto Balbinum & Pupienum habebant Augustos, adeoq; manus inter se junctas exprimebant, in concordia tesseram, addito Symbolo: PIETAS MUTUA, CHARITAS MUTUA. Imò quod in Trajani honorem prodiit, ut persona infidens gemino cornu copiarum respiceret congium spicis plenum, additis verbis: ABUNDANTIA PERPETUA; bonum esse jubebit omen concordia, inter universos cives, velut spicas, inter se collectos.

Octavus NOVO CONSULI oblaturus monetam Hadriani, cui inscriptum PATIENTIA, commilitonem habebit adversarium, donec concordibus animis ultimam suam liberalitatem experiantur, ac alter id referat, quod Septimo Albino iterum Consuli adscriptum: SECULO FOECUNDO, SECULO FRUGIFERO.

Sed alter ad POTENTISSIMUM ELECTOREM versâ pietate suum facturus erat nummum à Carthaginensibus Constantino M. & Maximiano cûsum, eâ quidem epigraphe: SALVIS AUGG. & CÆSS. FEL. KARTAGO. Quippe nihil rebus nostris videbatur adeo conveniens, quàm SALVO ELECTORE, SALVIS PRINCIPIBUS JUVENTUTIS FELICEM ominari SAXONIAM, LUSATIAM, ZITTAVIAM. Interim hanc optandi lætitiâ nobis interceptum nuncium universæ Patriæ funestissimum: Vixisse Patriæ Patrem, Germaniæ defensorem, avitæ virtutis & pietatis gloriosum Custodem: ibi vero pretiosam deposuisse vitam, ubi hætenus securitati publicæ, contemptis laboribus & periculis, sese consecrasset. Sic fines nostros, bellicis aliisque tumultibus per divinam benignitatem adhuc intactos, ea

vulneravit calamitas, quâ majorem aut tristiore, homines in pace
 viventes, nec concipere possunt nec experiri. Etsi enim ea nobis re-
 servata sunt solatia, ut ELECTOREM SAXONIÆ NON MORI
 videamus, quamdiu supersunt, quos hæreditaria virtus & auctoritas
 jam instruxit: facere tamen filii tantis beneficiis instructi non possunt,
 quin Capiti suis tandiu fortunis consecrato lacrymas & suspiria, quan-
 do votis & acclamationibus locum vix dari cognoscunt, lugentes ad-
 spergant. Sit Deus porro benignus, & in Potentissimo SUCCESSO-
 RE, quantum humana felicitas capere potest, clementissimè nobis
 elargiatur. Interim ubi jam lætioribus indulgere plaufibus non licet,
 adeste literarum & eloquentiæ Patroni ac fautores, & in crastinum
 post octavam matutinam citra musicorum modulationes, Theatriq;
 alioquin exhibiti pompam, à solâ loquentium pietate, simplicem hunc
 gratulandi cultum æstimare dignamini.

Nos certè ne unquam desideretur grati & obsequentis animi
 symbolum, efficere studebimus. Ac ipse, qui ultimus debet num-
 mum, monetam Galerii Imp. exequialem proferet, ubi fortuna temo-
 nem & cornu copię gerit, blando indicio, fortunam, seu, ut Christia-
 ni loquimur, Dei Providentiam & consilio & benedictione nobis por-
 ro fore propinquam. Cur enim, qui Tres JOHANN-GEORGIOS
 sibi mutuo succedentes Lusatiæ sumus experti Felices, Beneficos, Sa-
 lutares, similem in EO felicitatem non expectemus, qui, dum QVAR-
 TI characterem gerit, quarti quoq; hujus numeri CONSTAN-
 TIAM, Sibi suisq; certam & lætificam est conservaturus. Habeamus
 QVARTUM & in numero perfecto, perfectæ SALUTIS Statorem,
 vel, ut præsentis Michaëlis festo precamur, DICAMUS porro

GRATES SUMMO RERUM CONDITORI.

Scrib. e Gymnasio Zittaviensi d. 3. Octobr.

M DC XCI.

